



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Monasticum institutum auspicaturus, quænam obseruare debeat: nominis
Carthusianus literæ, quid mysticè innuant. Epist. VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

rium est, quicquid inane aut vanum est, quicquid in Deum non trahit animum, quicquid à virtute declinat, fastidire. Putabis forsitan solos monachos à me prædicandos quod mundum reliquerint. Inueniuntur etiam inter illos qui amant mundum, inueniuntur rursus è regione in vrbibus qui nō amant mundum. Hoc tamen addo: cui Deus hoc inspirauerit, qui ita instituerit, separari ab amore mundi, accedere ad Deum per eius amorem si in medio nationis prauæ manere voluerit, centum reperiet qui ipsum sint abstracturi, & teneram plantulam huius deuotionis dissuadendo, deridendo, persequendo, alliciendo & alijs innumeris modis eradicaturi.

In seculo
quenā quos
à Deo re-
trahant.

Expedit igitur ad societate bene instituta vitæ accedere vbi in claustrum à mundanis corruptoribus, à peccandi occasionibus segregatus, multos habeat, qui ignorantem instruant, trepidatē confortent, rapidum exemplo prouocent, cadentem rursus erigant, tentatum orationibus iuuent, trahant vrgeant compellantq; (si vias inferni iterum velit ambulare) ad æternam felicitatem. Hæc tibi, mi chare Gerharde, nō potui committere quin communicarem: tuum erit ex eis ea quæ tuæ salutis proficua videbuntur, exugere.

Vale.

Monasticum institutum auspiciaturus quenam obseruare debeat: nominis Carthusianus litera quid mystice innuant.

Epistola VI.

F. IOANNES IVSTVS, LANSPERGIUS CARTHVS.

Bernardo, Alberto & Ioanni adolescentibus eruditis ac pietate præstantibus, spiritum bonum & principalem.

NON vulgare hoc est adolescentes, ac filij charissimi, quo pater misericordiarum, & Deus consolationis vos caput sibi attrahere iam vocatos, atque filios hæredesque sui regni afficere. Videte enim quot hostes, quot infidias, quot laquei vobis stent ex aduerso. è quibus tamen omnibus vos liberat Dominus. Blanditur ætas, arridet mundus, caro incitat, tentat diabolus, prauorum tam verba, quam exempla abducunt: postremo, fortuna, opes, forma irretire nituntur, Christumq; vobis tollere, ac vos Christo. At per Christum disruptis vinculis, nudatis technis omnibus, vos liberi euolatis ad crucem. Nunquã post hæc hæsitare potestis, quin à Christo Domino ac Deo nostro hæc vestra vocatio sit, cum tam multa (quorum ne vnum quidem sine Deo superare possitis) non queant vos illaqueare, quo minus pergatis ad illum.

2. Thef. 1.
Quot hostes
pijs infidie-
tur.

Pergite igitur & florete virentes rosæ, spirate Christo & angelis (quorum est immensum gaudium super vno peccatore penitentiam agente) odorem ex vobis ipsis suauissimum. Offerite illi vosipsas hostiam placentem, & sacrificium immaculatum Deo. Relinquit mundum eiusq; fœces, ac fetores porcis: quandoquidem non modo in gratiam, verum etiam in amicitiam suam vocat & expectat vos Christus. Contemptris itaque omnibus quæ extra Deum sunt, hic vobis vnus sit desideratus, maneatq; optatus semper inter quæcun-

Luc. 15.
Rom. 12.

N

que

Vt Christo
constanter
inter tenta-
tiones ad-
herendum.
Genesis
Martyr.

que aduersa aut tentamenta, quæ nitentur ab illo vos abstrahere. Dicatis cū
sancto quodam Martyre, qui rerum suarum damna multa passus, inter om-
nia semper dicebat: Saltem Christum de corde mihi non auferatis. Dicatis
cum S. Genesio: Pro Christo si etiam milies occidar, ipse mihi de corde non
auferetur.

Vt omnia
accipiantur
ex manibus
Dei.

Itaque primū quod hortor filij dulcissimi, hoc est, aduertatis quid que-
ritis, quid denique occurrere vobis possit. Dei vultis esse mancipia, Christi
serui atque amici. Huc igitur omne studium vestrum expendatis, vt verè
sitis serui Dei illi obtemperantes, non desiderijs vestris carnis ac sensualibus,
non etiam tantummodo proprijs spiritualibus: sed quæcunque diuina pro-
uidencia circa vos ordinauerit aut permisit ita de manu eius accipite, ac si
Christum audiretis dicentem: Frater N. hoc volo te portare, donec ab hu-
mero tuo iterum tollam: hoc volo te pati. Noli conqueri, noli contristari,
meus es tu. Et seruam necesse est perficere Domini sui voluntatem. Amicum
oportet assimilari amico. Sequere igitur me. Hunc fratrem minus diligen-
tem æquo ser animo? hunc hominem minus tibi fidelem, dilige & mei amo-
re beneficijs foue. Subtractionē voluntatis tuæ hic vltro elige. Dura verba &
corporis malam valitudinem, incommodaq; ac aduersantia quæque patienter
sustine: tentationibus ad peccandum, ne consentias perseueranter resiste.
Tui consolationem & liberationem (quoniã abscondo me, ac quasi te non
agnoscerem, aut tu mihi non placeres, dissimulo) ex me longanimiter ac fi-
deliter præstolare. Non attendas ad homines: quia illi tibi non faciunt ma-
lum: sed attende ad me, attende meum consilium pro te, ac beneplacitum:

Vt in affli-
ctionibus
gaudeatis.

quod est, vt tu modo hæc sustineas, & nemini impropere, sed gaudeas te
occasionem inuenisse, qua mei amore aliquid sustinea, & tuum cor erga me
fidele ostendas. Vt homo in te delinquat, vt te offendat, contristet, spernat,
ego permitto in salutem tuam, cum prohibere possum, ided non irascaris il-
li, qui sine me aliter non potuit, & qui mea ordinatione tibi profectus ac v-
berioris gratiæ minister extitit. Quem etiam illic (vt ex ipso salutis tuæ
causa data est) reuocabo ad seipsum, & cognitionem detestationemq; insun-
dendo peccatorum, ad gratiam nihilo scius, ac si non peccasset, resuscitabo.
Ided non iudices illum. Ita filij sit vobis hoc propositum, in via Dei quæcun-
que aduersa occurrerint, patienter velle sustinere, desideranterque amplecti.

Vt nemo sit
a cruce im-
munis.

Nemo regum tam potens, aut felix, qui non varijs crucietur curis, timori-
bus, tristitijs, incommodis & cæteris id genus calamitatibus: idque plerum-
que, imò fere semper pro inani gloria, pro caduco regno, pro delectatione
vnius momenti. Quid ergo seruis Dei patiendum pro regno æterno, pro fe-
licitate perpetua?

Animo quo
nam euicta
sint perfici-
enda.

Alterum est quod hortor, vt propter quod mundum relinquitis, instan-
ter quaratis, agatis, & perseueretis. Quicquid igitur agendum in Ordine, v-
bicunque obtemperandum, id facite libenter, hilariter, fideliter, seruentur
atque humiliter, non subterfugietis, sed ad maiora etiam vos semper ala-
criter offerendo. Dicatis tristitiæ obmurmuranti: Propterea huc veni: faciã
igitur, & te ex cruciabo.

Malo um
exempla nō
imitanda.

Tertium, ne imitari velitis, si quid perperam videritis ab aliquo fieri,
scientes quod non homines & exempla vobis sunt data pro regula ad imitan-
dum

dum. Non dicetur vobis, facite semper, vt hic homo aut frater: sed facite quod Christus per se, per Apostolos, & sanctos Patres Ordinis docuit, acque instituit. Si ceteri bene fecerint, opera eorum bona vos nō coronabunt. Si male, prauitas eorum imitationem vestram non excusabit. Aemulamini igitur semper meliora quæ cernitis: quæ si nulla etiam videretis, scitote quia Dominus dedit vobis lumen rationis, dedit eruditionem, dedit præcepta & instituta: hæc seruate & ambulate in eis. Quartum, vt cogitationes, tentationes, atque animi vestri instituta ad vnum omnia patri vestro spirituali, siue magistro reueletis, tentationes, & animi sollicitudines nudè aperiat, consilijs acquiescat securè & securissimè, ne decipiat vos diabolus, qui homines omnibus viribus nititur ad displicentiam boni status, aut mutationem vocationis diuinæ perducere. Si aliter non potest, machinatur hoc malum sub specie pietatis, quasi cellæ incolæ nihil proficiat hic, sed tantum comedat & bibat, nulli proficit. Item, si foris esset, faceret eiusmodi, & eiusmodi: velut sanctam vitam agere omnibus exemplarem, & multos possit conuertere &c. Hoc agit sollicitans, non quod salutem animarum quærat (qui nititur cuncta perdere) sed vt cogitandum, & hæsitantem monachum no- uitium euertat, elidat, eiciat de loco bono, de paradiso claustrali, de statu salu- tati: & eiecto, non suadeat iam vitam bonam, vltimū dum esset adhuc in monasterio, sed mutatis tentationibus, in vitia omnia versipellis ille præci- pitet eiectum monachum, & iam infirmum ad resistendum, vt pote, qui se- mel diabolo succubuit, semel victus fuit.

Gal. 4.

Vt cogita-
tiones patri
spirituali
detegantur.

Vt sub spe-
cie pietatis
fallat quos-
dā diabolus.

Itaque quando senseritis tentationes de displicentia status, mox intelligite & diaboli fraudem, & status vestri laudem. Ab hoc enim statu haudquaquā retraheret diabolus, nisi quia videt & inuidet vobis hunc salutarem. Cor- dis vestri igitur secreta aperite, & semper acquiescite.

Quintum, puritati cordis maximè operam date, abijciendo quæ aduer- santur profectui vestro, frangendo passionem, desideria abnegando propria, cogendo vos ipsos ad salutaria. In quibus deuotionem sensibilem etiam si nō habueritis, Deo nihilominus manetote fideles, & per bonam voluntatem a- gite, vt quod contra Deum est, non diligatis, non eligatis, non ex animo & proposito voluntario teneatis. Quod etiam licet inuiti senseritis, non con- sentiat: quia non secundum quod in sensu percipitis & sentitis, sed secun- dum quod per rationem eligitis iudicabimini.

Cordis puri-
tati vt studē-
dum.

Sentire ma-
lum absque
consensu
nihil officit

Hæc festinato ad candelam filij, ne vestræ salutis non sim particeps. Va- lete. Et capita subiecta quasi ex literis primis hoc nomen CARTHUSIANVS exprimentia legite in ædificationem, Orateq; pro me Deum. Iterum Valete.

LEGITE IN SEQUENTIBVS CAPITIBVS PRIMAS LITERAS:

Quis consarcinatis habetis nomen Carthusianus

Quid agere debet Carthusianus.

Contemnere debet carnis voluptates, mundi delicias, & honores, om- nem curiositatem & vanitatem: debet tamen sumere vitæ necessaria tanquam necessaria, non vt oblectamenta.

Carthusia-
nus cuius-
modi est
Amare de-
bet.

N 2

- A** Amare debet sui contemptum, vt velit nesciri & vilis reputari. Non debet tamen propterea perperam quid agere, nec scandalizare quenquam, sed potius ædificare.
- R** Reuerentiam Deo debet in omni loco exhibere, eiusque præsentiam semper & vbiq; cogitare, ad eius beneplacitum semper paratus atque accinctus stare, & in laudem atque gloriam Dei se totum velle libenter exponere.
- T** Tentationes aduertere, ad Deum semper recurrere, & eius præsidium invocare: nihilominus patri spirituali nudè illas, atque omnia secreta sua bona & mala (quia multa videntur bona, quæ non sunt bona) reuelare, consilia libenter amplecti & securè exequi.
- H** Humilitatem amare & inquirere diligentissimè, id est, iactantiam & ostentationem detestari, laudabilia cælare, & timere laudari, & præferri: vilia & contemptibilia (quæ dedignantur cæteri) desideranter amplecti, de honore oblato erubescere, & se inferiorem atque viliozem omnibus semper credere.
- V** Vitia sua & prauas inclinationes obseruare & persequi.
- S** Solitudinem & omnia exercitia atque instituta ordinis amare, diligenter obseruare, atque omnes transgressiones & negligentias, tanquam grauis peccata, horrere & vitare.
- I** Intentionem suam in omnibus agendis & omittendis ad Deum (vt illi placeat) dirigere, & in Deum cor suum totum & vires suas omnes collectim figere, atque implicare.
- A** Amorem priuatum in seipso persequi & occidere, seipsum non querere familiaritates etiam & singulares amores ad aliquas singulares personas fugere nec admittere (quia suspitiones & alia mala sequuntur) sed omnes vna vera charitate diligere.
- N** Neminem spernere, neminem iudicare, neminem velle lædere, nemini detrahere, neminem etiam malè aut negligenter agentem debet velle imitari. Actus aliorum & corda nolle discutere. Secreta aliena nolle explorare, inò malle nescire.
- V** Vniuersa, id est, læta & tristitia vnanimiter de manu Domini suscipere, prouidentiam eius in omnibus & singulis intelligere ac diligere, eidemq; cõfidenter se credere, resignare, relinquere ac offerre.
- S** Silentium oris diligenter obseruare, maximè statuto tempore. Silentium mentis diligentissimè querere, vt nulli creaturæ, sed Deo intus soli loquatur, hoc est: vt mentem habere studeat exoccupatam, liberam, nulli creaturæ in hærentem, sed à phantasmatibus, & imaginibus nudam ac puram, soli Deo vacantem, soli Deo loquentem ac audientem: cæteris omnibus, id est, mundo & carni & c. tacentem & silentem: propter eiusmodi tamen quietem & silentium cum Deo spirituale, nihil debet omittere in inntum aut debitum. Alioquin talis quies non in gloriam, sed in contumeliam esset creatoris. Valere filij charissimi, vestrumq; iustum apud Deum orationibus iuuare.

Secreta cur
Patri spirita-
li reuelanda

Familiari-
tas singula-
ris cur fugi-
enda.

Silentium
cordis & o-
ris vt seruā-
dum.